



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De Sancto Valentino Episcopo Passaviensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX S. PAULINO sane adeo immites ac feros animos ita subito penetrare, nisi ingenti studio preparatos. Ut vero hoc consequeretur, admirabili prædium fuisse vitæ sanctitate, ac plurima edidisse divina virtute miracula, indubitatum est. Quo deinde firmiores religio radices ageret, et monachorum cætus instituit, ut jam vidimus, et ipse in eorum, quoad licebat, degit convictu, testante Paulino:

His precor cum te domus alma sancto
Ceperit fratrum numerosa cœtu
In choris, et nos pietate cari
Pectoris abdē.

Monachi inter Neophylos. Nullæ fere barbarorum nationes Christo additæ, nisi aut monachorum opera, aut mox domiciliis monachorum per ipsos earum Apostolos erectis, ut essent veluti plantaria unde novi identidem salutaris doctrinæ magistri educerentur; ut vitæ integerrimæ exemplo ad pietatem intuentes pellicerent; ut denique sanctarum precum sacrificiorumque præsidio novellum gregem munirent, hostisque tartarei conatus eliderent.

15 Quod ad virtutes attinet Nicetæ, pietatem præcipue celebrat Paulinus, qui vel inter navigandum in media epibataram turba, ea etiam accidente, sacros hymnos decantaturum ominetur.

Nicetæ pietas. Navitæ læti, inquit, solitum celeusma
Concinent, versis modulis in hymnos,
Et piis ducent comites in æquor
Vocibus auras.
Præcinet cunctis, tuba ceu resultans,
Lingua Nicetæ modulata Christum:
Psallet alternis citharista toto
Æquore David.
Audient Amen tremefacta cete,

Et Sacerdotem Domino canentem
Læta lascivo procul admeabunt
Monstra natatu.

De eadem ceterisque virtutibus paulo inferius:
Ducat hunc æque famulum suum dux
Ille, qui quondam profugum minacis
Fratris a vultu Deus in salutem
Duxit Jacob.

Namque Niceta fugitivus æque est:
Quod semel fecit Patriarcha, semper
Hic facit, mundo fugiens ad alti
Mœnia cæli:

Et gradus illos, quibus ille vidit
Angelos versa vice comœantes,
Iste contentus superante nubes
Scandere vita;

Per Crucis scalas properans in astra,
Qua Deus nitens ad humum coruscis
E thronis spectat varios labores
Bellaque mentis.

Tuque, Niceta, bene nominatus
Corporis victor, velut ille dictus
Israel, summum quia vidit alto
Corde satorem.

Unde Nicetes meus approbatur
Israelites sino fraude verus,
Qui Deum cernit solidæ fidei
Lumine Christum.

Hæc aliaque de Niceta suo Paulinus. Utinam res ab eo præclare gestæ mandata litteris essent! Illustre procul dubio Apostolici præconis exemplar in iis haberemus expressum.

Similis Jacob
Patriarchæ.

DE SANCTO VALENTINO EPISCOPO PASSAVIENSI.

CIRCITER
ANN. CDXL.
VII JANUARI.
S. Valentini
triumphus.

Non uno die S. Valentini memoriam celebrant Martyrologia. Nam Romanum xxix Octobris ista habet: Eodem die sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris, et Valentini Confessoris. Molanus in Addit. ad Usuardum, eodem die: In civitate Pataviensi triumphus sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris, et Valentini Confessoris. Quis vero ille sit triumphus, non exprimit. Eadem habet Martyrologium Germanicum, additque præcipuos ejus Ecclesiæ et diœcesis patronos esse. In vita S. Maximiliani xii Octobr. mentio fit servatæ civitatis Pataviensis anno mclxlx, xxix Octobris ejus ac S. Valentini patrocinio, de quo nos isthuc. Corrigendum Gallobelgicum Martyrologium, in quo Patavio Italiæ ambo adscribuntur.

Non est hic
Vianensis in
Lusitania.

2 In Dextri Chronico ad annum cxxxiv, num. 3, isthæc habentur: Prope Tudem in Gallæcia, in oppido Vianensi, sancti Pontifices Maximianus et Valentinus Confessores clarent. Non dubitat Bivarius quin hi sint SS. Maximilianus et Valentinus, de quibus Martyrologium Romanum xxix Octobris; et fidenter Molanus corrigat, qui locum Viennæ male cum Theodoro conjunxerit. Ita legendum censet: Eodem die sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris et Valentiniani Confessoris, Viennæ. Item depositio B. Theodori Abbatis. Hunc vero Theodorum asserit S. Pachomii esse discipulum; neque enim ullum Viennæ in Gallia notum esse Theodorum. Verum Theodarium non Theodorum scripsit Molanus; atque is colitur Viennæ illo die, ut ex Adonis Episcopi Viennensis Martyrologio constat, et Theodorus quoque ab aliis appellatur. Ast ille S. Pachomii discipulus Theodorus xxviii Decemb. colitur. Quamvis probaret Bivarius Maximianum hunc et Valentinum (quem ipse Valentinianum vocat) colit uspiam, sive hoc sive alio die; at nunquam

eos pro Bataviensibus nostris supponi patiemur, quos constat antiqua religione celebres fuisse.

3 vii Januarii ista de S. Valentino scribit Molanus: Patavii, Beatissimi Valentini Episcopi Rhætiarum. Eodem die Ferrarius in generali Catalogo SS. Pataviæ in Norico S. Valentini Episcopi, et ejusdem urbis Patroni. Eo die colit illum Passavii, testatur Mattheus Raderus Noster. ms. Martyrologium Bedæ monasterii Richebergensis in Bavaria, eodem die: Valentini Episcopi.

Ejus natalis.

4 iv Augusti eum alii celebrant; quo die Petrus Galesinius: Patavii in Noricis S. Valentini Episcopi et Confessoris, qui noctu in vigiliis orationibusque frequens interdiu sacrarum lectionum studiis ac pietatis officiis magnopere deditus, cælestium virtutum donis affluens, migrat ad Dominum. Citat tabulas Passavienses. Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard. Translatio S. Valentini Episcopi Pataviensis et Confessoris. Eadem Martyrologium Germanicum. Martyrologium Colon. solum habet: Ipso die B. Valentini Episcopi et Confessoris. Ferrarius: Pataviæ in Norico S. Valentini Episcopi et Confessoris. ms. Florarium: Item Translatio S. Valentini Episcopi et Martyris, et paucis interjectis: Item B. Valentini Episcopi et Confessoris. Agitur ergo vii Januarii Natalis S. Valentini, ut ex vita S. Severini vii Januarii patet; iv Augusti fortassis translatio et Inventio secunda xxix Octobris vel prima vel alia quæpiam translatio. Ceterum in catalogo Episcoporum Passaviensium non reperitur Valentini nomen, quod merito miratur M. Velserus in Notis ad S. Severini vitam,

not. 112

Translatio.

5 Eugippius in vita S. Severini vii Januarii S. Valentini, ita meminit: Epiphaniorem die, cum Sanctus se Lucillus Presbyter Abbatis sui S. Valentini, Rhætiarum

Lucillus ejus
Presbyter.

tiarum quondam Episcopi, diem depositionis annua solemnitate in crastinum celebraturum sollicitus intinasset; idem famulus Dei ita respondit: Si B. Valentinus hæc tibi celebranda solemnia delegavit, ego quoque tibi in eodem die Vigiliarum mearum studia observanda, migraturus e corpore, derelinquo. In his sermonibus tremefactus, cum se magis, utpote homo decrepitu, enixus commendaret, quasi primum transiturus, etc.

6 *Aribo Frisingensis Episcopus in Vita S. Corbiniani, quam viii Septembris dabimus, meminit sepulchri S. Valentini a Corbiniano religiose frequentati, ejusque ecclesie in castro Magiensi; ac de corporis translatione hæc habet*: Interea vero dum a Longobardorum gente corpus B. Valentini Confessoris Christi de eodem castro ablatum fuisset, et in Tridentinam urbem deportatum; ac postea a venerando Tassilone Duce in Patavium civitatem, cum summo revocatum honore, etc.

7 *Andreas Braunerus Noster Annal. Boicor. lib. 4, de S. Valentino ita scribit*: Integritatem adeo philosophiæ Christianæ nondum adultam temeraverat impia Arii lingua, ut serpente veneno, totus demum orbis terrarum (verba D. Hieronymi sunt) ingemiscens, se miraretur Ariannum. Certe Batavium, quod Passavium hodie est (Batava olim castra dictum) ea peste hoc ipso tempore laborabat: verum, quæ Dei bonitas est, non defuit malo medicina, quique illam doctissime faceret, ab ipsis usque Oceani finibus accitus est. Is D. Valentinus fuit, qui ad hunc Vindelicæ angulum excolendum cum omni studium operamque contulisset, et tamen cum immitibus ingeniis agre collectaretur, semel iterumque Romam profectus, summo Reip. Christianæ Antistiti se stitit; a quo Episcopatus honore auctus, cum ad spartam suam ornandam rediisset, et agendo patiendoque, quæcumque bonus animus potest, nihil proficeret; insanabili Ariarorum furori cedere coactus, per reliquam Rhætiam, magno operæ pretio, contemptam in Batavis castris veritatem explicavit. Ad Alpes tandem Majas, Meraniæ (quæ Tiroleos urbs est) imminentes profectus, etiam illa aspreta molliit, et ad virtutis elegantiam mansuefecit. *Idem lib. 3, Magiense castrum, Majense vocat, vulgo Matsch, inquit, non procul Merania Tiroleos. Alii Magiam esse volunt Meienfeld Rhætorum oppidum inter Cluniam, quam Veltkirch putant, et Curiam. De S. Valentini translatione idem Braunerus eodem lib. 3. Ejusdem Thassilonis studio, Valentini Passaviensium, Corbinianus Frisingensium Episcopi, sedibus suis redditi, ingenti populorum plausu, et pietatis incremento. Nam Valentini corpore Tridento, quo illud Longobardi Majis exhumatum deportarant, Passavium relato, etc.*

Quæ æ gesserit Valentinus.

Magiense castrum ubi.

NOT. 113.

8 *Hic dabimus de S. Valentino, quæ de eo tom. 1 Bavaricæ sanctæ scripsit Matthæus Raderus Noster; tum quæ ad iv Augusti edidit Surius, a quingentis annis ab anonymo Auctore tradita litteris, sed quæ a se paullulum fatetur expolita.*

VITA

AUCTORE MATTHÆO RADERO S. J.

a
b
Valentinus prædicat Passavii.

Fit episcopus.

c
d

Divus Valentinus ante a Severinum vixit; ad Oceanum (b Germanicum, opinor) natus, venit Batava Noricorum, ubi ea tempestate duæ pestes regnabant in urbe, Paganorum, inquam, idololatria, et Ariarorum perfidia: contra quos in aciem descendit Valentinus; nec multum profecit. Romam semel ac iterum inde profectus, uti summi Pontificis auctoritate Pontificatu auctus, acrior rediret, necdum pro animi sententia rem conficere potuit. Imo artibus et improbitate Ariarorum urbe pulsus, ad Alpes Majas haud procul c Merania apud d Teriolos, se contulit: ubi felici admodum successu multis ad Christi sacra traductis,

ecclesiam condidit, in qua post ingentes labores conditus, post duo triave sæcula a e S. Corbiniano Batava est transvectus. Fit hujus Divi mentio apud Eugippium in Historia S. Severini. f Plura Surius pridie Nonas Augusti. Ponunt Batavienses hunc Divum non immerito inter primos urbis suæ Pontifices, et tutelares. Agitur anniversaria ejus celebrata festa cærimonia vii Idus Januarii. In Batavio Breviario hæc de illo ad verbum exscripta lege:

2 Valentinus vite sanctitate insignis, ab Oceano ad Batava oppidum, nunc Passavium nuncupatum, venit. Ubi genti a vero Dei cultu alienæ, verbum vitæ prædicaturus, Romam petiit, ut ad prædicandi munus Apostolica interveniret auctoritas. Reversus inde, et jussit Pontificis pium opus agressus, animas, quarum salutem mire sitiebat, assidua verbi divini prædicatione Christo lucrari diu multumque conatus est. Verum, cum semen verbi salutiferi velut in petram frustra se spargere videret, Romam rediit, petens se ad alium populum facientem fructum mitti. Sed Valentinus a Pontifice in Episcopum creatus, ac, ut Apostoli exemplo adhuc ibidem prædicando opportune importune instaret, remissus est; facultate ei data, post irritos tandem labores, ad alias gentes commigrandi. Cum igitur sanctus Episcopus spiritu Dei fervens, muneri suo iterum ardentem insisteret, et Batavos ad viam veritatis traducere laboraret; illi, Ariarorum accedente perfidia, hanc prædicandi instantiam non ferentes, eum e finibus suis excedere coegerunt. Quare vir Dei Rhætias peragrans, hominum saluti, ubique prædicando, quam maxime studebat. Tandem in montana se contulit: ubi multis pro Christo perfunctus laboribus, ingentique animarum fructu reportato, vitæ suæ terminum præsciens, beato fine quievit; in vita et post mortem miraculis clarus. Ejus corpus in Majensi castro in Alpihus sepultum, ad Batava tandem, uti propriam Sedem, unde vivens exsulaverat, honorifice translatum est.

Ex RADERO.

e

f

Animatur a Papa.

Pellitur.

Prædicat in Alpihus.

a Is obisse dicitur anno cdlxxxii. De Valentino agit Braunerus post an. cdi.

b Laudo conjecturam. Porro cum Germanicus Oceanus secundum Ptolemæum et alios Geographos, a frelo quod Britanniam a Gallia dividit, procul in Septentrionem protendatur; hinc sequitur S. Valentinum e Belgica oriundum esse. Nam qui alii ea ætate accolæ Germanici Oceani Christi fidem receperant? De Morinis, quorum pars Flandria nunc Comitatu continetur, testatur S. Paulinus ep. 28. a S. Victoricio esse conversos, quamquam alii quoque ante Victoricium intulere Belgicis provinciis lucem Evangelii. Hinc igitur ille Rhætiarum Apostolus prodit; vel ea fortassis occasione inductus, ut Batava præcipue peteret, quod Belgicæ originis urbs erat, Castra Batava d Batavorum Belgarum nomine dicta, et vulgo solo cognomine Batava, unde Germani Battaw, et propria ipsorum dialecto, qua t nostrum in s mutant, Passaw, nunc etiam Latine Passavium, nobilitatiæmum ad Æni ac Danubii confluentes civitas.

c Ad dextram Athesis fluvii (quem Germani Etsch, Itali Adice et Adige accolæ Adese vocant) ripam sita est Merania.

d Athesis sinistre ripæ (inquit Philipp. Cluverius Italiæ antiquæ lib. 1, cap. 16.) medio ferme itinere inter fontem annis et oppidum Bolzanum, adposita est arx cum oppidulo, vulgari nunc nomine Tirolis Itali, Germanis Tirol dicta: unde nobilissimus totius Germaniæ Comitatus Tirolensis cognomentum accepit. Ostendit deinde jam olim Teriolis loco nomen fuisse.

e De S. Corbiniano agemus vii Septembr. Sed fallitur hic Raderus: non S. Corbinianus, sed post ejus mortem Thassilo Dux S. Valentini translatus corpus.

f Ea hic subjungemus.

VITA ET TRANSLATIO

EX LAUR. SURIO IV AUG.

CAPUT I.

S. Valentini inventio, prima translatio.

a Nostro ævo temporibus b Calixti Pontificis Maximi, anno Dominicæ incarnationis c... Patavii inventum est corpus sanctissimum venerandi Confessoris Christi et Episcopi Valentini, idque ab ejusdem Sedis venerabili antistite d Dedalrico. Quod quidem sacrum corpus

NOT. 114.

a
b

c

S. Valentini corpus inventum.

d

36

pus

Ex Surio.
e

pus olim eo translatum a e Longobardorum gente e castro Magiensi, jussu venerandi Ducis Tassilonis, Dei benignitate propriae Sedi restitutum est.

f
Antea Batava
translatum.

2 Prima vero translationis ejusmodi fuit occasio. f Cum beatae memoriae S. Corbinianus Episcopus Frisingensis Romam aliquando proficisceretur, captus est a ministris Grimoaldi Longobardorum Principis, qui in Alpibus excubabant, perductusque est in Magiense castrum. Ubi cum maneret sanctissimus vir, accessit ad monumentum S. Valentini, Pataviensis quondam Episcopi, quod in eodem castro in Alpibus sito, idem beatus Antistes Valentinus extruxerat : in quo postquam gentibus praedicaverat, et multos ab ethnicismo ad Christi religionem traduxerat, post obitum suum humatus, requievit in pace. Ubi vero jussu Grimoaldi Principis Corbinianus Episcopus dimissus est e custodia, g Romam ire perrexit, atque inde prospero cursu ad eundem locum reversus est. Cumque non mediocriter doleret sancti Pontificis Valentini corpus a propria ecclesia longius semotum, rogavit h Tassilonem Ducem, patrem Grimoaldi Ducis, ut per ipsum propriae Sedi quandoque vel mortuus restitueretur. Ejus vero precibus annuens Tassilo, praecipit, ut corpus B. Valentini a castro Magiensi Patavium, unde quondam ab improbis haereticis, Ariana perfidia infectis, expulsus fuerat, honorifice deportaretur. Itaque hunc in modum translatum est corpus sanctissimi viri a Magiensi castro Patavium, positumque inter duos muros ante fores ecclesiae B. Stephani protomartyris, ubi Episcopi sedes est.

Antiqua vita
illius.

3 Ipso autem sanctissimi Valentini pontificis invento corpore nostris temporibus in ecclesia Pataviensi, juxta illud reperta est tabula plumbea, in qua continebantur scripta strictim, et ut vix possent intelligi, ejus sanctissima gesta, tum etiam quis fuerit, quemadmodum Ecclesiae Pataviensis Episcopatum administravit; ut expulsus, in locis montanis vitam suam exegerit; ut denique post mortem reductus sit. Quae quidem scriptura tum vetustate, tum terrae putrefactione dissipata, et ab inventoribus in unum collecta, rerum gestarum ordinem aegre hunc in modum manifestat. Venit ab Oceano vir humilis, Valentinus nomine, in Norici urbem Patavium, idque animo apud illos praedicandi. Sed quia id hominum genus ferum ac bellinum nimis erat, exiguum apud illos animarum fructum capere potuit. Videns autem terrae ejus opportunitatem, et quorundam hominum frugalitatem, regionemque jam alban ad messem, ita intra se cogitabat: Non debet concionandi munus quisquam sibi usurpare, nisi ex Apostolica auctoritate jussione, sicut scriptum est: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? Haec dicens, adiit Pontificem Romanum. Qui eum honorifice et reverenter excepit, libenterque eum audivit, et Apostolica auctoritate ejus studium praedicandi confirmavit. Reversus ergo ille Patavium, tentavit illic praedicare verbum vitae, sed nihil profecit, nondum enim tempus miserendi ejus advenerat. Rursus autem cogitavit adire Romanum Pontificem, ut ab eo vel in aliam provinciam mitteretur, ubi animas Christo lucrificeret, et suae quoque salutis acciperet incrementa. Venit ad Pontificem, interrogatur ab eo, quid ita cito reverti voluerit. Respondet in hunc modum: Domine mi, Pater carissime, obstante infelicitate mea, non potui illum fructum facere. Redii ergo ad te, orans ut ad aliam gentem me mittas, ubi fructum animarum, Christo jubente, colligam, nec minorem animae meae profectum percipiam. Respondit Pontifex: Insta frater opportune, importune, et beatus erit fructus laboris tui: si possis tantum uti constantia, donec frangas feritatem diu reluctantis populi. Quod si vero jam tertio conando nihil effeceris, auctoritate Apostolica licebit tibi ad alias gentes praedicandi causa commigrare. Atque ita imponens ei manum, ordinavit eum

Rom. 10. 13.

Episcopum, dataque benedictione, a se dimisit. Ille celeriter reversus Patavium, praedicavit verbum salutis, et sanctae Trinitatis. At homines illi videntes ejus praedicandi instantiam, una cum Arianis restiterunt ei, nec sine laesione ejecerunt eum e finibus suis. Ille vero, ut erat homo patiens, excusso pulvere pedum in eos egressus ab urbe, ad montana se contulit, ubi ex Dei providentia ingentem attulit animarum fructum, cum magno suae salutis augmento: et tandem Deo et hominibus carus, feliciter in Christo defunctus est.

a Hinc patet qua aetate hic Auctor vixerit.

b Callistus II electus est an. MCXIX, obiit sub finem an. MCXXIV. c Duo mss. ut habet Surius, annum MCX exprimebant. Sed vel in Pontificis nomine, inquit, mendum est, vel in numero annorum, legendum quae MCX aut circiter.

d Udalricus hic est, quem Hurdus ab an. MCXI usque ad MCXXIV ait sedisse.

e Confundit vel Auctor, vel Surius, duas translationes: nam, ut diximus, e Magiensi castro Tridentum est a Longobardis translatum, Tridento Batava Tassilonis jussu.

f Haec fassius narrantur in vita S. Corbiniani viii Septemb. ut ante diximus.

g Imo in vita S. Corbiniani dicitur id contigisse cum Roma rediret.

h Grimoaldi pater Tassilo non fuit, sed Theodo V, isque ante Corbinianum, ut et Grimoaldus ipse, vita excessit, Nec Tassilonem rogavit Corbinianus ut ad Sedem suam Valentinus referretur, sed Hugbertum Grimoaldi fratrem, lotus tum Boicæ Principem rogavit, ut se in Magiensi castro, ubi sepulchrum erat S. Valentini, sepeliri juberet. Utrumque deinde Batava reportari curavit Tassilo, filius Utilonis.

CAPUT II.

Praedicatio fidei ac virtutum.

Fuit itaque B. Valentinus Episcopus in Alpibus, in locis nemorosis et silvestribus, in quibus ethnici multi, et feri ac belluini homines morabantur, praedicans ac docens verbum Dei, et virtutes multas efficiens, ita ut ab obsessis corporibus daemones pelleret, sanaret infirmos, et multos male habentes a diversis languoribus curaret. Erat enim vir sanae doctrinae, et fidei Catholicae regula perfecte imbutus; non palpans vitia hominum, sed pungens; aculeatis sermonibus utens adversus flagitiosos, et tanquam clavis quibusdam in altum defixis; abstinens se ab omni fratre ambulante inordinate.

Praedicat in
Alpibus

Claret mira-
culis.

5 Versutias haereticorum toto studio declinabat, ita ut nec audire eos, nec in cibo, potu, aut qualibet amicitiae conjunctione cum eis communicare vellet. Quae etiam ei partim causa fuit montana expetendi, ut nulli ipsi daretur alicujus cum eis commercii occasio, aut communicandi necessitas offerretur. Ariana perfidia inter ceteras haereses per totum orbem pervaserat, et instar serpentis suo veneno infecerat limites, quos olim doctrina Apostolica ad Christi fidem adduxerat. Ne ergo vir sanctus, et Catholicae religionis firmitate roboratus, haereticorum, quibus praemultitudine resistere non poterat, tumultuosos clamores audiret, ad montana se contulit: ubi cum sanae doctrinae et veritatis praedicationi vigilanter incumberet, multum Domino populum lucratus est.

Haereticos
aversatur.

6 Audientes enim eum populi multi, qui non modo in montanis, sed etiam vicinis locis et circa Alpes contra Italiam et Insubres degabant, sacrum ab eo baptisma percipiebant. Quidam etiam ab erroribus, quos ab haereticis hauserant, resiliens, B. Valentini orthodoxa praedicatione instituti, sanam fidem complectebantur, confitentesque peccata sua, et abstinens se ab omni opere malo, glorificabant Deum Patrem omnipotentem, et Filium ejus Dominum Jesum Christum, redemptorem et Salvatorem mundi, et Spiritum sanctum paracletum, illuminatorem et consolatorem animarum, veram et sanctam Trinitatem, divini nominis et confessionis unitatem. Non est in hac Deitatis confessione divisio, non est in personis inaequalitas: Pater aequalis et consubstantialis est Filio et Spiritui sancto: attamen alia persona Patris, alia

Multos con-
vertit.

alia Filii, alia Spiritus sancti; sed una Deitas et consenspiterna majestas, quæ cuncta creat, cuncta vegetat, cuncta gubernat. Eam fidem constantissime prædicabat B. Valentinus Episcopus, et in hac sanctæ Trinitatis confessione perdurabat. Hac fide multos ab errore diabolicæ pravitatis liberabat, multorumque animas a præcipitio æternæ damnationis eripiebat. Quos vero subtraxit diabolo, illos adduxit ad Christum: quosque convertit ad fidem, saluti restituit animarum.

*Salutaria ejus
monita:*

1. Cor. 9. 27.

Isa. 42. 3.
Insignis moderatio.

1. Tim. 1. 15
et 16.

7 Docebat autem eos resistere vitiiis, pugnare cum mundi hujus pravis cupiditatibus, pristinos errores prorsus abjicere, cunctis vanitatibus valefacere. Docebat populum Dei recte credere, et bene operari, spernere lenocinia blandientis sæculi, perfecteque ambulare in via Domini, et quæ fide recta comprehenderent, ea bonis operibus complere. Cumque hæc alios doceret, nequaquam seipsum neglexit, sed dabat operam, ut posset ipse quoque dicere cum Apostolo: Castigo corpus meum, et in servitutum redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiat. Erat ejus doctrina sale sapientiæ condita, non declinans neque ad dextram, neque ad sinistram, id est, nec aspera nimium, nec plus satis remissa. Sic extirpabat vitia, ut virtutes pariter non evelleret, convenienter illi sententiæ de Domino Salvatore: Linum fumigans non extinguet, et arundinem quassatam non conteret. Linum fumigans extinguere, est peccatores quoque et sceleratos seu criminosos propter fumum fœtoris eorum despiciere, et ad reconciliationem divinæ miserationis per benevolentiam prædicationis non revocare. Non extinguere vero, est, ne desperent, per lenitatem ad fiduciam salutis æternæ alliciendo temperare. Arundinem quassatam conterere, est anxias, exacerbatas, et propter iniquitatis suæ instabilitatem afflictas mentes, ad constantiam et fiduciam spei, vitæ æternæ promissionibus non erigere, sed severitate maledictionis et desperationis conterere. Quod B. Valentinus prædicator egregius non fecit: sed ita potius peccatoribus prædicabat veniam, ut seipsum etiam peccatorem diceret, summum illum verbi Dei præconem Paulum imitatus, qui dicit: Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Ita nimirum S. Valentinus Episcopus dulcis erat eloquio, pro concione suavis, non multiplex nec profusus nimium in verbis, non profundus sensibus, non vafer neque implicatus sententiis: sed humilis voce, lenis exhortatione, conspicuus bonitate, universa morum honestate præclarus.

a *Sequentia monet Surtius ab eodem scripta esse auctore, a quo superiora hujus historiae; sed non in eadem plumbea tabula fuisse exarata.*

CAPUT III.

Pietas, mors, translatio.

Precandi studium.

Psal. 119. 5.

Phillip. 1. 23.

Erat apud illum in more positum, noctes et dies ruminare psalmos, tota animi attentione hymnos depromere, preces multas fundere, tota compunctione ad Dominum suspirare, et cum Psalmista crebro ingemiscere et dicere: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! cum Apostolo cupere dissolvi, et esse cum Christo; frequentissime in precibus suspirare ad Dominum, et cum lacrymis atque singultibus dicere: Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Igitur beatus vir, athleta fortissimus, cum permultos in fide Christi et Catholice religionis professione confirmasset, delegit vitam solitariam, ut tanto securius quanto secretius Deo adhereret, divinis contemplationibus vacans, et cælesti dulcedini animum intendens. Fecerat sibi jam pridem oratoriolum seorsum ab homi-

num tumultu, in quo crebro pernoctabat in orationibus, vigiliis et jejuniiis insistebat, sæpissime lacrymarum imbribus perfusus, ardentissime ad Deum suspirabat. Diebus vero orationi, lectioni, contemplationi vacabat, eleemosynis, ceterisque, quibus poterat, bonis operibus intentus erat. Deoque soli in secreto cordis sui pura conscientia indefessus militabat.

*Ex Surtio.
Amor solitudinis.*

9 Post tot vitæ hujus labores, post tot bonorum operum sudores, post tantas corporis molestias et vigiliis, hæreticorumque vexationes et insidias, Deus omnipotens, cui soli jam longo tempore inhæserat, volens ei reddere mercedem et amplissima præmia, in spiritu ei revelavit horam, qua esset abiturus a vita. Tum vero ille præmunivit se vigiliis et precibus, ut posset lætus audire a veniente iudice: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

Mortem suam præscit.

10 Cumque labores laboribus, vigiliis vigiliis, jejunia jejuniiis, preces precibus cumularet, aliisque piis operibus incumbendo, diem vocationis suæ cum jugibus lacrymis expectaret, in gravem morbum incidit, quo etiam extinctus est. Sed licet magnis affligeretur corporis molestiis, attamen secutum patientiæ, et obedientiæ virtutem tenens fortiter, non multum contristabatur, sed gaudebat potius, credens a Domino se diligi, quandoquidem tam acriter ab illo castigaretur. Non erat immemor Scripturæ dicentis: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit, et post flagella in hereditatem patriæ cælestis introducit. Ejusmodi sancti Spiritus consolationibus confirmatus vir Dei, non timebat mori, sciens se a Domino celeriter a mortis cruciatu liberatum iri.

Ægrolat.

Prov. 3. 11.
Heb. 12. 5 et 6.

11 Vocatis igitur fratribus et commilitonibus suis, indicavit eis prope adesse suum e vita decessum, cunctosque his compellavit sermonibus: Fratres carissimi, confirmate Ecclesiam in fide Christi, conservate fidem, pacem, unitatem, spem, caritatem et religionem Catholicam: et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum usque in finem. Deinde cum lacrymis ita precatus est: Domine Deus, Pater Domini mei Jesu Christi, qui per Spiritus sancti gratiam omnes gentes in unitate fidei congregasti, collige Ecclesiam tuam vinculo veræ fidei et Christianæ religionis: libera eam a pravitate hæreticæ perversitatis: custodi eam a scissura diabolicæ falsitatis. Domine Jesu Christe, Fili Dei omnipotentis Patris, defende et erue oves tuas de ore luporum, pro quibus fudisti pretiosissimum sanguinem tuum.

Extrema ad suos monita.

12 Hac oratione finita, pariterque exhortatione fidissima, vir sanctus propriis manibus accepit corporis et sanguinis Domini Sacramentum, ita dicens: Domine Jesu Christe mundi conditor et redemptor, qui es dux et illuminator animarum nostrarum; obsecro te per mysterium sacratissimæ passionis et resurrectionis tuæ, ut suscipias animam meam, et perducas eam in regnum tuum, quod præparasti diligentibus te. His dictis, tradidit spiritum in manus Angelorum, ad Christum in paradysum perferendum.

Pie moritur.

13 Corpus autem ejus in Alpibus in ecclesia, quam ipse condiderat, humatum est. Post *a* aliquantum vero temporis, consopita perfidia hæreticorum, a fidelibus Christianis Patavium translatus est, et in ecclesia B. Stephani Protomartyris honorifice tumulatus. Cumque multis temporibus claresceret locus ille signis et virtutibus, quas fecit per illum Deus, oblatae sunt multe visiones nostris temporibus viris religiosis de corpore ejus ex divina voluntate ad locum celebriorem transferendo. Inventum est ergo corpus sanctissimi viri inter duos muros basilicæ S. Stephani, et elevatum cum magno tripudio et populorum conventu a venerabilibus viris et religiosis Episcopis, collocatumque *b* in majori ecclesia ad sedem Pontificis,

a
Corpus transfertur Passavium:

b

EX VARIIS.
Iterum invenitur.

ficus, ubi etiamnum plurima fiunt miracula, quæ facit per illum Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui in Sanctis suis est mirabilis et gloriosus in sæcula sæculorum. Amen.

14 Celebratur autem festum ejus in Ecclesia Pataviensi cum primis solemniter et honorifice pridie Nonas Augusti, et fit ibi conventus multorum homi-

num, quærentium auxilium et defensionem ab illo : percipiuntque multi, digne postulantes, mentis et corporis sospitatem per Christum Jesum Dominum nostrum.

a Imo plusquam tribus sæculis post.
b Quæ hæc major ecclesia? Certe Cathedralis templum Passavii est S. Stephani.

DE S. CRISPINO III, EPISC. TICINENSI.

AN CHR.
CDLXVI.
VII JANUARIJ.
S. Crispini
natis.

Crispini Episcopi Ticinensis et Confessoris VII Januarii sacris Ecclesie tabulis inscriptum est nomen; refertur quoque a Bellino, Maurolyco, Galesinio, Molano, Martyrologio Germanico; licet Ferrarius, ut supra diximus, Crispinum primum hoc die colit, hunc ad xxx Octobris rejiciat, quo et Crispini II memoria celebratur. Galesinius utroque die Crispinum memorat, et in Notis utroque se de Epiphaniæ decessore loqui ostendit.

Vilæ Ferrario.

2 Hujus vitam ita breviter describit idem Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ: Crispinus Episcopus, tertius hujus nominis, post Thomam, qui S. Anastasio successerat, Ecclesiam Ticinensem administravit, Sixto III, Leone I, et Hilario Pontificibus. Vir fuit magnæ et spectatæ sanctitatis. Cujus S. Epiphanius ejus successor, discipulus, et diaconus fuit. Quo sanctus Episcopus, cum valde senex esset, ut scribit S. Ennodius, in Ecclesiæ regimine utebatur, et brachiis illius incedens sustentabatur. Interfuit Concilio Mediolanensi sub S. Eusebio ejus Sedis Episcopo jussu Leonis I Papæ celebrato, una cum S. Maximo Episcopo Taurinensi, et Abundio Episcopo Comensi, et aliis. Cum autem Ecclesiæ suæ annos xxxiv sanctissime præfuisset, senio confectus, Sede Epiphaniæ derelicta, migravit e vita anno salutis CDLXVI, quo tempore et S. Prosper Episcopus Regiensis diem clauserat extremum, Hilario Pontifice Maximo et Leone I Imperatore.

3 Hæc Ferrarius; qui xxviii Maii de S. Anastasio Episcopo Papiensi agens, ait S. Crispini (secundi, ut arbitror, licet non exprimat) successorem fuisse; idque ipsum mox in dubium revocat. Celebratur is in Romano Martyrologio xxx Maii. Sedere, qui hic nominantur Pontifices Romani, Sixtus III, a xxvi Aprilis CDXXXII, usque ad xxviii Martii CDXL, quo die ab Ecclesia colitur: Leo I, a x Maii ejusdem anni, usque ad xi April. CDLXI, quo die ejus dabimus vitam: successit Hilarius eodem anno, mense Novembri; obiit x Septemb. CDLVII, quo die colitur. S. Epiphaniæ Episcopi Ticinensis vitam infra xxi Januarii dabimus a S. Ennodio conscriptam; de ipso vero Ennodio agemus xvii Julii. Concilii Mediolanensis, Sanctique Crispini meminit Baronius tom. 6 Annal. an. CDLI, num. 13, et sequentibus. Qui hic memorantur ei interfuisse sancti Episcopi, Eusebius Mediolanensis xii Augusti, Maximus Taurinensis xxv Junii, Abundius Comensis ii Aprilis, coluntur. De S. Prospero, qui hic Regiensis Episcopus dicitur, agemus xxv Junii.

4 Porro quæ hic Ferrarius de obsequiis decrepito

Antistiti ab Epiphaniæ exhibitis narrat, ea inferius in ipsius vita Epiphaniæ fusius referuntur; uti et quod de agri Summiatis controversia perperam Crispino I tribui supra monuimus; idque inter cetera de eo prædicatur: At ille venerabilis Crispinus Episcopus, favoris nescius, pertinaci tenens distractione censuram, et quem numquam nisi bona conscientia duxit ad gratiam, sic eum (Epiphaniæ) mulcebat sensibus, ut morderet obtutu; et sub specie frontis rigidæ clandestinum circa discipulum nutriebat affectum: pascebatur alumni sui optabili conversatione Pater, et in omnibus ejus actibus oculos amoenabat. Paulo deinde inferius: Postquam tamen invalida senectus, et semper de infirmitatibus querula, venerabilem virum Crispinum Pontificem occupavit; istius sustentabatur manibus, in hujus nitens erigebatur amplexus; pes illius erat, oculus, dextera; cujus ministerio, quidquid optasset fieri, ante jussionem suam videbat impletum.

S. Epiphaniæ instruit.

Ab eo juratur.

5 De morte tandem Crispini hæc scribit: Circa finem tamen vite, quem spiritu prævidebat sanctus Antistes, Mediolanum vicinam expetiit civitatem, etc. Subdit commendatam civitatem, et Ecclesiam suam, atque Epiphaniæ discipulum. Atque Ticinum, inquit, quasi ad sepulchrum festinans regressus est: qui aliquantus emensis diebus morbo regio perustus, lucem sæculi nostri supra habitatione commutavit. Meminit obitus illius Baronius tom. 6, ad an. CDLXVI, num. 16. De eo et S. Epiphaniæ illos Guilielmi LXV Episcopi Papiensis versus recitat Ferrarius:

Moritur.

Crispinus vir mitissimus,
Director Epiphaniæ,
Cui successit protinus
In gradibus officii.

6 De eodem ista quoque cecinit S. Ennodius Carm. lib. 1, Carmine ix, sive Panegyrico in tricennalibus S. Epiphaniæ habito:

Crispinum petit inde libens, quem dicere digno
Non datur eloquio; nec si modo surgat Averno
Qui potuit rigidas de rupibus Apennini,
Flumina cum starent, ad plectrum ducere silvas.
Helias fuit hic mage nam quis Helisæum
Linqueret in terris, duplicato munere palmæ
Nutrivit quem lacte pio, quod ab ubere Paulus
Pressit Evangelicis plena est cui dextra papillis?
Salve sancte parens: semper salvete recepti
Crispini cineres: ad ejus jura redundat
Quidquid in hoc Christi miramur dogmate dignum.

Laudatur a S. Ennodio.

DE S. VALENTINO II, INTERAMNENSI EPISCOPO.

CIRCITER AN.
CHRISTI.
DXXXIII.
VII JANUARIJ.
S. Valentini
II natalis.

Valentinum Interamnensem Episcopum et Martyrem colit Ecclesia XIV Februarii. Alium eo multo juniorem ejusdem Sedis Antistitem refert Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum VII Januarii his verbis: Interamnæ in Umbria S. Va-

lentini Episcopi et Confessoris. Et fusius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex quodam MS. Martyrologio Ecclesie Interamnensis, in quo tamen, ut ait, nonnulla de eo dicuntur, quæ ad S. Valentinum Passaviensem pertinent.

2 De